DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIII MARTII,

M. IOANNE VACHEROT Doctore Medico, Moderatore.

An haurire in balneo purgantem potionem prodest? 943

CONVALESCENTIBVS & breui lapsuris in morbum, haud aliter quam ægrotantibus auxiliatur purgatio; sanis verò atque optimè habentibus fit certa pernicies. Purgandi autem corporis duplex omnino ratio est. In altera, quod purgat affinem & cognatum sibi humorem videtur optare: in altera, indiscriminatim quodcumque occurrit secum aufert; & hæc potius est corporis perturbatio, eò innocentior, quò minus procellosa: quare maximè peccant, qui stibium vtcumque apparatum purgando corpori oggerunt: hos autem assequuntur, qui in maxima humorum cruditate purgationibus ægros vexant. Vt enim rite purges corpus, non solùm exuperantibus humoribus cognatum sit quod adhibeas Medicamentum oportet; sed etiam ad manum veniant, & obtemperent humores, quos abigendos susceperis: namque congesti maiore copia altis viscerum recessibus humores supra Naturæ vires incalescunt, nec inde abacti facilè putrent: quos sic affectos purgantibus medicamentis obsequi ne speres: cæci & latentis ignis extinctione tibi prius demulcendi sunt. Hac re confecta facilius sequentur, quò vocaueris. Atque tunc fere omnia Naturæ mandare oportet, summæ, vt alimentorum concoctionis, sic corruptorum humorum purgationis, artifici.

MAGNVM est ad purgationem, calorem alienum edomuisse: sed viscidos humores, vt facilius fluant, haud abs re fuerit diluere & colliquefacere. Hoc Natura interdum per se ipsa præstat, tum maximè cum tenuior est victus, & à solidioribus abstinentia: sed Naturæ conatum promouent decocta rerum attenuantium & refrigerantium; nostra iuscula herbis vel radicibus similis potestatis condîta, & iucundiora & vtiliora fuerint: specie enim alimenti vis illa colliquefaciens & humectans melius subit, & reconditioribus visceribus semet importat. Quid Clysteres? nonne blando tepore ardores viscerum modificant, coctionemque maturant? Neque rerum prudens Epithemata spreueris; plurimum prosunt, vel ex oxycrato, vel ex sola tepida: horum vsus, est quædam balnei meditatio. At ipsum crassos & lentos humores quampotentissimè diluit. Sed sua est balnei cautio. In viscerum inflammatione, aut humorum æstu, aut nimia plenitudine, aut denique cruditate, balneum fugiendum est; pluribus enim lauandi temeritas vitâ constitit.

BALNEAS vel Natura, vel Ars temperat: Naturales sulphur & bitumen sinu telluris accensa calfaciunt, & similes vires addunt: nostras ad ægrorum commoda temperamus: tepidis vulgò vtimur. Naturales externis debilitatibus magis prosunt, viscerum æstui nocent: Nostræ tepidæ ex aqua dulci paratæ, penetralia corporis sine damno subeunt, & externis quoque vitiis medentur. Ambæ sine purgatione, sordentibus visceribus nunquam satis tutò vsurpantur: qui ad Naturales sedent Medici, hoc volunt dum calidam è thermis ipsis propinant: risu excipiendi, si perfrigerandis visceribus, feruentem aquam bibere consulant. Vt amotâ materiâ, subductóque pabulo ignem restinxeris; sic illi fortasse; quia bilem plurimam his potionibus eliminant, viscerum ardori paululum quidem moderantur aliquando; at nunquam medentur omnino. Certè ægris quibusdam delicatulis, & hauriendæ purgationis molestiam ferre abnuentibus longè peius esset, nisi biberent, vnde lauantur.

BALNEVM aquæ dulcis bonis lauantium rebus temperare, haudquáquam leue negotium est; prudentem Medicum, qui tutò lauare vult, adhibeat; nec nisi bene tentatis ab illo aquis se immergat. Nam graue periculum est, aut calidius, aut frigidius, aut inæquabiliter temperatum intrare; bene apparatum, summa vtilitas est. Etenim aquæ illius vis blanda, & ægræ naturæ iucunda, spiramenta cutis aperit, quibus laxatis, humorum fuligines liberè exhalentur; ipsa intro se dat, ac bene penitus visceribus se permiscens, concretos vstulatósque humores diluit, liquat, & ad exitum parat. Sic autem sponte fluentes, nisi Ars coerceat forásque protrudat; ex hoc viscere, in illud desilire, & cæco impetu errare per corpus sentiant ægri mortales; vt lotis nec ritè purgatis, nihil salutarius solers Medicus voueat, quàm scabiem & reliquas cutis fœditates.

INGRESSVS balneum potionem haurias, interea dum tepidæ mollis halitus sic pertentat viscera, vt abstrusi eorum cauis torridi humores permadeant, & fluxiles fiant, acceptum stomacho Medicamentum coquitur, eiúsque vis purgatrix hac coctionis specie suscitata per præcordia sese diffundit, & quidquid in illis balnei tepore iam maturuit, decerpit statim, & vnà secum aufert, & hinc lauantibus cùm magna leuatio est, tum grauioris periculi fuga. Nam quia tunc leui Medicamento plurimæ sordes, ac nullo ferè labore subducuntur, Naturæ bene consulitur, quam vulgò lædunt vehementia Medicamenta; quid sæpius & in cassum repetita nondum maturo humore qui tollendus est? Quanti verò putas iam colliquefactos à balneo prauos humores in ipso fluxionis articulo, antequam principem aliquam partem impetant, compellere, &, quâ Naturæ commodum est, abigere? Diuinum certè inuentum, nec nostræ solum ætatis est, lauari, & περὶ κοιλιολυσίας γίνεσθαι, neque id cuiquam vnquam malè euenit; nisi vel imperitè instituta purgatione, vel intempestiuè vsurpato balneo; quæ quidem Artificis, non Artis culpa censenda est.

Ergo haurire in balneo purgantem potionem prodest.

~~336~~

Proponebat Lutetiæ PETRVS REGNIER, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLV.

